

16167.

DE  
OSSIBUS NASI.

---

COMMENTATIO  
QUAM AD IMPETRANDUM

AB

AMPLISSIMO ORDINE MEDICO UNIVERSITATIS  
CAESAREAE DORPATENSIS


DOCTORIS MEDICINAE GRADUM

CONSCRIPSIT

JACOBUS GODOFREDUS SÜLK,

LIVONUS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE MAGISTER.



---

RIGAE,  
TYPIS HAECKERIANIS.  
MDCCCXVII.

---

PROOEMIUM.

---

Ad Physiologiam, sive doctrinam organismi humani, basin totius medicinae, magis amplificandam, plures alias scientias contribuisse, constat. Quantum lucis physiologiae affudit Matheseos cognitio! Quantum in Botanica, Chemia et Physica ad amplificandam physiologiam praecipue Linnaeo, Lavoisiero, Humboldtio et aliis acceptum feramus, sat patet. Quantum denique Organographia c. h. et reliquorum animalium contribuerit, nemo dubitabit. Quam diligenter hinc excolenda, discendaque sit, quis est, qui negare possit? — „Quid enim Anatomia sine Physio-

D 17445

logia et quid Physiologia sine basi anatomica?“ eximia sunt Gallii verba in novissimo suo scripto \*).

Summam in parte osteologica et myologica laudem meretur Albinus. Optime de ligamentorum historia meritus est Weitbrechtius; optime item de Arteriis Hallerus, qui utilissimum hoc thema plurimum emendavit, et elegantissimis expressit figuris. Fabricam viscerum plurimi subtilissime indagaverunt, et quae de cerebro et nervis clarescunt, a Walthero, Meckelio, Soemmerringio, Reilio, Gallio summa cura et laboribus demonstrata nobis sunt.

Quae veteribus non prorsus incognita, exactius indagata sunt, ea nunc summo-

---

\*) Untersuchungen über die Anatomie des Nervensystems überhaupt, und des Gehirns insbesondere. Paris u. Straßburg, 1809. S. 104.

rum virorum maxime exercent ingenia, manus, scalpella, siphones, corrosiones et microscopia; eorumque dexteritati, quae in dies nobis clarescunt, accepta ferimus. At et Anatomiam comparatam, quam Rousseau animam Zoologiae declarat, multum ad stabiliendam Physiologiam contribuisse, certissimum est; imo, Hallero et Blumenbachio monentibus, anatomia comparata plus etiam quam Anatomia hominis ad amplificandam Physiologiam lucis affudit. Hinc etiam recentiores Physiologi, Doellinger, Walther, Oken, multum in compendiis suis ad hoc Physiologiae incrementum respexerunt.

Cum sic mihi de Anatomiae et Physiologiae necessitate persuasum esset, cumque per quinquennium in Academia, quae Dorpati floret, cursum meum absolvissem, his medicinae partibus praecipue

operam dedi et praeterlapsis sic annis Academicis specimen hoc quaecumque, primitias laborum meorum, nempe descriptionem ossium nasi, tum propria experientia edoctus, tum lectis et comparatis scriptis aliorum, elaborare admissus sum; sicque ut juvenili meo conatui L. B. fa-veat, mihi in optatis est. —

§. 1.

**O**ssa nasi, ossa nasalialia; germanice: Nasenbeine; russice: носовыя кости <sup>1)</sup>; franco-gallice: les os du nez; anglice: the nose bone; hollandice: Neesbentje. Sic appellamus haec duo ossa parva, oblonga, quadrangularia, tenuia, planiora <sup>2)</sup>, quae figura plani ephippii gaudent <sup>3)</sup>, atque inter processus nasales ossium maxillarium sita sunt.

Hippocrates — quem de ossibus notionem, non solum ut constat <sup>4)</sup>, ex Anatomia comparata, sed etiam ex ossibus humanis sibi parasse, sat ex ejus descriptione de capitis vulneribus elucescit, — non distincte quidem de ossibus nasi loquitur; attamen, haec ossa quoad figuram, connexionem etc. ipsi nota fuisse, in libro de arti-

<sup>1)</sup> Сокращенная Анатомия или руководство къ познанію спросія человеческого Тѣла etc. Петра Загорскаго. Книла первая, p. 12.

<sup>2)</sup> Albin de sceletio hum. Leid. 1762. p. 112.

<sup>3)</sup> Blumenbach, Geschichte der Knochen. 1807. p. 220.

<sup>4)</sup> Sprengel, pragmatische Geschichte der Medicin. 1792. Tom. I. p. 252.

culationibus, ubi proluxe fracturam nasi, ejusque sanationem adfert, comprobat.

Sic etiam Celsus non distincte in libri VIII. Cap. I., ubi de positu et figura ossium totius corporis humani disserit, neque in Cap. V. ubi de fractura nasi loquitur, tantumque „*si adversa fracta sunt, nares desidunt*“ dicit, quidquam proluxius de ossibus adfert, attamen eum ea optime cognosse, certum est.

Galenus nasi ossa duò adfert, quae suturis, a medio superciliorum descendentibus discernuntur <sup>5)</sup>. Mundini deLuzzi non proluxe ossa nasi quidem describit, attamen ea adtulit et depinxit <sup>6)</sup>. Nicolaus Massa ossium capitis descriptionem sat distinctam nobis offert, simulque addit: „os frontis saepius duplex inveniri et quidem non solum in sexu sequiori inveniri, ut alii tantum existimaverunt; sed etiam interdum in potiori occurrere, cujus se ad spectu cranii maris juvenis certiore reddidit fuisse“ affirmat <sup>7)</sup>.

Saepius etiam crania masculina, plura autem feminina, cum duobus ossibus frontis vidi. —

Andreas Vesalius ossa nasi, ut quintum par ossium maxillae superioris, describit <sup>8)</sup>.

<sup>5)</sup> De ossibus. p. 131.

<sup>6)</sup> Editio Dryand. p. 49. Fig. K. Litter. F.

<sup>7)</sup> Liber introduct. anatom. 1536. p. 78.

<sup>8)</sup> De c. h. fabrica curant, Boerhav. et Alb. 1725. Tom. I. p. 56.

Realdus Colombo, discipulus Vesalii, hunc sequens, ut quintum par ossium maxillae superioris, his verbis utens, ossa nasi adfert: *quintum os partem nasi superiorem, quae fere ossea est, genuinum existens, constituit* <sup>9)</sup>. —

Thomas Bartholinus, ut par quartum maxillae superioris, ea proponit <sup>10)</sup>.

P. Verheyen ossa tertii paris maxillae superioris ea nominat <sup>11)</sup>.

Omnes denique reliqui descriptores ossium corporis humani ut proprium par ossium faciei, nasalium nominata, ea nobis referunt, distincteque describunt <sup>12)</sup>.

## §. 2.

Quoad figuram referuntur ad ossa lata; atque in iis duae superficies, ac quatuor distinguuntur margines.

## §. 5.

Superficies externa, s. anterior, s. superior <sup>13)</sup>, supra arctior; infra latior et convexior, praeter unum foramen magnum in medio, quod ramus

<sup>9)</sup> De re anatomic. Lib. XV. Parisiis, 1562. p. 57.

<sup>10)</sup> Anatomia etc. Lugd. Batav. 1670. p. 720.

<sup>11)</sup> C. h. anatom. Bruxell. 1710. p. 297.

<sup>12)</sup> Loschge, Hildebrandt, Loder, Soemmering, Blumenbach etc. Knochenlehre.

<sup>13)</sup> Winter, Abhandlung von den trockenen Knochen. Berlin, 1778. p. 152.

arteriae maxillaris externae, et ramus venae maxillaris permeant, nonnullaque alia foramina minora, transitui vasorum inservientia, excensisque vestigiis vasorum, satis est laevigata. Duae hac superficies dorsum nasi constituunt, quas nasi scapulas olim Jul. Pollux nominavit <sup>14)</sup>.

Superficies interna s. posterior, versus cavum narium spectans, minor est externa et sinuata, aspera, imo serrata, vestigiis vasorum et foraminibus parvis praedita apparet.

#### §. 4.

Margo superior s. extremitas superior, duorum ossium inter se junctorum, radix nasi appellatur, et crassus, serratus et angustus invenitur. Margo inferior, s. extremitas inferior, latus, tenuis, imo serratus, connexione ossium angulum superiorem aperturae anterioris, sive externae nasi format, atque confirmationi septi cartilaginei nasi inservit.

Margo externus, longior interno, paululum serratus apparet.

Margo internus, rectus, asper, serratus; supra latior, infra tenuior evadens, connexione ossium nasi inter se intus cristam nasalem efficit. —

<sup>14)</sup> Onomasticon, Lib. II. p. 192. Hallerus in bibliotheca anatomica, Tom. II. p. 110. Lexicon ejus adfert et „abundantiam, ait, nominum c. h. admireris!“ —

#### §. 5.

Constat unumquodque os nasi ex tenui lamina ossea substantiae compactae, at supra, ubi crassius est, substantiam etiam spongiosam conspicimus, quae vero, ut substantia omnium ossium corporis animalis, si penitius eam indagamus, cellulosa reperitur, quod recentioribus temporibus praecipue Scarpa <sup>15)</sup>; at jam alii descriptores c. h. e. gr. Heisterus, Pohlius, Platnerus etc. nos docuere.

#### §. 6.

Arteriae rami maxillaris, quarum praesentia incrementum, nutritio et conservatio fiunt, intrant substantiam.

Venae, venarum, arterias comitantium sunt rami.

Vasorum lymphaticorum existentiam in substantia ossium nondum autopsia comprobatum esse, Blumenbach refert <sup>16)</sup>; quae vero in periostio adhuc latuerant vasa lymphatica, Bruggmanns detexit <sup>17)</sup>.

Multitudo ceterum phaenomenorum praecipue incrementum <sup>18)</sup>, vicissitudo materiei or-

<sup>15)</sup> De penitiorum ossium structura. Lips. 1799.

<sup>16)</sup> L. c. p. 53.

<sup>17)</sup> Van Manen, de absorptione solidorum. L. B.

<sup>18)</sup> Senff, nonnulla de incremento oss. embryon. Hal. 1801. p. 12.

ganicae <sup>19)</sup>, summa mutabilitas formae <sup>20)</sup>, et decrementum ossium <sup>21)</sup>, sat multitudinem horum vasorum extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Nervos inveniri in ossibus a plurimis negatur; et summa indagatione se nunquam in ossibus humanis recentibus, neque in substantia ossium maximorum animalium domesticorum vestigium filamentum nervi disseminati invenisse, Blumenbach memorat. Ramos enim nervi acustici ad cochleam labyrinthi distributos, et ut Gallius affert, in substantia corticali nantes <sup>22)</sup>; sicque ut Doellinger eximie dicit: existentiam vitae, quasi ossi fere mortuo inhalantes <sup>23)</sup>, ut etiam ramos nervorum parvis quinti in dentes abeuntes, atque nervos, qui arteriarum ramos comitantur, non ut nervos ossibus proprios considerari posse, hinc Blumenbach existimat <sup>24)</sup>.

Nihilominus sensibilitatem ossium tam sanorum, quam morbosorum, testantibus praecipue

<sup>19)</sup> J. S. Doutrepont, de perpetua materiei organico-animalis vicissitudine. Hal. 1798. 8. Ueberfetzt in Reils Archiv für die Physiologie. IV. 3. S. 460.

<sup>20)</sup> Blumenbach, l. c. p. 26.

<sup>21)</sup> Van Meenen, l. c. p. 47.

<sup>22)</sup> Gall, l. c. p. 20.

<sup>23)</sup> Grundriß der Naturlehre des menschlichen Organismus. Hamburg u. Würzburg, 1805. p. 270.

<sup>24)</sup> L. c. p. 55.

Murray <sup>25)</sup>, Scarpa <sup>26)</sup>, Classio <sup>27)</sup> et aliis praesentiam nervorum sat probasse, mihi videtur.

Musculi ossibus nasi ex parte adhaerentes sunt pars frontalis musculi epicranii et musculi epicranii et musculi compressoris naris.

### §. 7.

Synarthrosi connexa sunt ossa nasalia inter se et cum adjacentibus ossibus. Margine interna inter se conjunguntur atque harmonia inde effici dicitur; at cum margo internus asper, imo serratus praecipue superius sit, suturam serratam potius assumere possumus, quod etiam Fischerus putat <sup>28)</sup>.

Margo verum externus processibus nasalibus ossium maxillarium superiorum adjacet.

Margine superiori cum incisura ossis frontis connexa sunt, atque spina nasalis ossis frontis adjacet cristae, quae conjunctione marginum internorum oritur. Interdum etiam angulus, et margo anterior septi perpendicularis ossis ethmoidei cristam eorum attingit. Septum denique cartilagineum nasi angulo superiori, connexionione ossium nasi formato adhaeret. Mar-

<sup>25)</sup> De sensibilitate ossium morbosa. Upsal. 1780.

<sup>26)</sup> L. c. p. 41.

<sup>27)</sup> Ueber die Krankheiten der Knochen. Tübingen, 1798. p. 14.

<sup>28)</sup> Naturhistorische Fragmente. 1801. p. 159.

gine inferiori conjunguntur cum cartilagine aperture externae nasi. — Quod superest, periostium ut magis, minusve in aliis ossibus, ea obducens, connectioni eorum inservit.

### §. 8.

Usus eorum est ad formationem faciei et nasi in homine praecipue prominentis, quem tamen naso prominente praecellit simia rostrata <sup>29)</sup>. Quartam partem longitudinis capitis nasum efficere ac longitudini aurium aequalem esse, Camper adfert <sup>30)</sup>.

Olfactui proprie non inserviunt ossa nasi, quod, ut reliquae partes vicinae, expansionem nervi olfactorii in membrana Schneideriana, maximam partem formata ex substantia corticali <sup>31)</sup> distributi, limitent; sicque cum hoc, exaequatione oppositionis necessario orientis, organum sensus olfactus forment <sup>32)</sup>.

### §. 9.

Ex cartilagine ossescente initio, ut reliqua ossa foetus, constant etiam nasalia et de-

<sup>29)</sup> Blumenbach, de gen. human. variet. nat. 1795. p. 63.

<sup>30)</sup> P. Camper, über die natürlichen Unterschiede der Gesichtszüge. Berlin, 1792. p. 65.

<sup>31)</sup> Gall. l. c. p. 20.

<sup>32)</sup> Doellinger, l. c. p. 265.

num in duodecima hebdomade ossea apparent <sup>33)</sup>.

Interim a prima hac ossificatione constantem figuram offerre videntur <sup>34)</sup> quae omnia Senff eximie enarrat <sup>35)</sup>.

Sexto mense praeterlapso, ut ossicula auditus, jam magis ad perfectionem accesserunt.

Maturo in infante, scilicet novem mensium, majora sunt respectu reliquorum ossium faciei, at planiora, quam concaviora et sat regulariter quadrangularia, quoniam cum majori cranio connexa sunt; quam ob rem extremitas superior inferiori quoad latitudinem aequalis sit, necesse erit <sup>36)</sup>, quae omnia Albinus figuris elegantissimis expressit <sup>37)</sup>.

Octavo mense post partum magis sunt oblonga, attamen margo superior etiam tum aequalem cum inferiori habet longitudinem; ut in capite pueri octo mensium animadverti.

Tertio anno praeterlapso, ut in capite pueri trium annorum, quod ad manus habui, tenuia quidem, magis tamen ad figuram oblongam ac-

<sup>33)</sup> Senff, nonnulla de incremento ossium embryon. Hal. 1801. p. 14.

<sup>34)</sup> Mayer, Anatomie. L. c. Tom. II. p. 75.

<sup>35)</sup> L. c. p. 58.

<sup>36)</sup> Danz, Bergliederung des neugeborenen Kindes. 1792. 1r Theil, S. 214.

<sup>37)</sup> Icon. oss. foet. Tab. V. Fig. XXXVI. et XXXVII.



cedentia conspexi, quod magis in capite pueri septem annorum mihi apparuit.

Nasi radix cum frontis glabella nunc magis etiam attollitur.

Circa annos pubertatis usque denique ad annum vigesimum quintum et quod excurrit, plane absoluta conspiciuntur.

### §. 10.

Quod ad sexum attinet, ut reliqua ossa faciei et totius skeleti, in sexu sequiori ea subtiliora, minora, parviori quantitate Calcariae phosphoricae praedita et foramina eorum angustiora <sup>38)</sup>, ossibus nasi sexus masculini invenimus.

Exemplar normale masculinum praebet mihi veteris Romani militis praetoriani delineatio, quam Blumenbachio grata mente acceptum ferimus, in quo ossa nasi, nec ut in simo depressa, nec ut in aquilino prominentia; sed media inter utrumque ratione declivia conspiciuntur <sup>39)</sup>.

Ut exemplar autem normale femininum horum ossium delineationem feminae Georgianae, quam Blumenbach nobis exhibuit <sup>40)</sup> atque de-

<sup>38)</sup> Hærmann, über die körperliche Verschiedenheit des Mannes vom Weibe, außer den Geschlechtsheilen. 1788. P. 34.

<sup>39)</sup> Dec. cran. IV. Tabul. XXXII.

<sup>40)</sup> Dec. cran. III. n. XXI.

lineationem skeleti puellae viginti circiter annorum <sup>41)</sup>, cujus caput Soemmerring cum isto cranio pulcherrimo feminae Georginae maxima cum cura comparavit, quodque maximo suo gaudio optime cum illo convenire animadvertit, constituere mihi liceat.

Ceterum ossa etiam capitis puellae Germanicae novemdecim annorum optime formata apud Prof. Anatomiae Isenflam in demonstrationibus osteologicis saepius vidi, atque ossa nasalialia cum masculinis ossibus nasalibus comparavi.

### §. 11.

In senectute major iis inest quantitas Calcariae phosphoricae, minorque glutinis; hinc leviora imo friabilia evadunt, facileque franguntur. Interdum etiam inter se et cum ossibus maxillaribus coalescunt.

In capite viri septuaginta sex annorum et viri centum et duodecim annorum tenuia cum osse frontis, et ossibus maxillaribus firmiter connexa, et inter se concreta conspexi.

In capite feminae octoginta annorum tenuia quidem, neque tamen inter se, neque cum maxillis et osse frontis coalita inveni.

In capite feminae centum et duodecim annorum inter se quidem, at non cum maxillis coalita

<sup>41)</sup> Tabul. skeleti feminini. 1797.

animadverti. Ceterum vero fere in media amborum horum ossium in superficie externa foramen sat magnum apparet.

Quatuor haec capita in museo anatomico Dorpatensi adservantur.

Nasus ceterum aduncus, longior in senectute ac mento proprius accedens videtur <sup>42)</sup>.

### §. 12.

Dextrum et sinistrum os nasale, quantum equidem scio, quod tamen in nullo compendio anatomico invenire potui, constanter differunt, ut e. g. Sinus frontalis sinister amplior dextro <sup>43)</sup>; sulcus dexter superficiei internae partis occipitalis propriae, partis occipitalis, ossis spheno-occipitalis, profundior et altior sinistro <sup>44)</sup>; foramen jugulare dextrum amplius sinistro etc. sat constanter reperiuntur, sicque symmetriae sceleti humani damnum inferunt. Ceterum symmetria sceleti et totius corporis humani non ad leges severiores Matheseos restrin-

<sup>42)</sup> Camper, l. c. p. 43. Tab. IV. Fig. 4.

<sup>43)</sup> Blumenbach, de sinibus frontalibus. p. 4.

<sup>44)</sup> Henslamm, über die Verschiedenheit der rechten und der linken Seite in seinen, und Rosenmüllers Beiträgen. 1. B. 1. S. S. 21.

Sinum lateralem sinistrum durae membranae ut venam jugularem sinistram ampliores esse, minus naturae respondentem novo in compendio physiologico lego.

genda est, ut naturae perquam convenienter Loschgius nobis explicavit <sup>45)</sup>.

Differentia individualis autem saepius occurrit et si ossa nasi adunca sunt, apicem nasi acutiorem, sin compressa sunt, obtusiorum in regula observamus. Rarius etiam inveniuntur utriusque lateris aequalia, sibi que plane similia; saepius enim, ut ipse in multis capitibus Germanorum, Ruthenorum et Ehstonum vidi, dextrum vel sinistrum alterum magnitudine superat.

Interdum superficies eorum externa regulariter in latitudinem crescit; interdum in medio angustior est; interdum duae superficies triangulum cum apice acuto versus os frontis formant, ut Soemmerring in capite Aethiopsis invenit <sup>46)</sup>. Spinam nasalem in tribus capitibus Aethiopum deficientem, ejusque tantum vestigium in uno Soemmerring vidit <sup>47)</sup>. Talis ceterum Individualitas, vel connata, vel aliunde adscita est. Sic Aethiopes infantibus neonatis nasum comprimere dicuntur; interim infantibus Aethiopum, Cassellis natis, non comprimebatur; attamen complanatus fuit <sup>48)</sup>.

<sup>45)</sup> De symmetria c. h. imprimis sceleti. Erlang. 1793.

<sup>46)</sup> Knochenlehre. S. 176.

<sup>47)</sup> Soemmerring, über die körperliche Verschiedenheit des Negers vom Europäer. Frankf. u. Mainz, 1785. S. 25.

<sup>48)</sup> L. c. p. 87.

Buffon, Loder et Blumenbach, autopsia edocti, nasum compressum jam connatum affirmant <sup>49)</sup>. In foetu masculino Aethiopico, quinque mensium Musei anatomici Dorpatensis nasum parum intropressum vidi.

Etiam Cingaros genuinos et Calmuccos infantibus neonatis nasum comprimere referunt, et natura, ut Kant dixit, tales deformationes ut hereditarias, recipit.

Ceterum quod deformationes capitis in genere et aliorum ossium e consuetudine et vitae genere ortas attinet, jam Herodotus <sup>50)</sup>, Hippocrates, Vesalius <sup>51)</sup>, Soemmerring <sup>52)</sup> et Blumenbach <sup>53)</sup> prolixè attulerunt. —

### §. 13.

Varietatis generis humani, si spectamus, Caucasiae varietatis ossa nasalia leviter unca

<sup>49)</sup> L. c. p. 4.

<sup>50)</sup> Thaliae sive libri III. caput 12. His verbis utens: *αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσι ἀσθενέες ἔτο, ὥς εἰ θέλεις ψήφω μάνη βαλέειν διατετρανέεις. αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων, ἔτο δὴ τι ἰσχυραὶ, μόγις ἀν λίδω παίσας διαρρήξεις.* Edit. Reizii. Lips. 1778. p. 237.

<sup>51)</sup> Camper, l. c. p. 10 et seq.

<sup>52)</sup> Ueber Schnürbrüste und die Knochenlehre. S. 86.

<sup>53)</sup> De gen. hum. variet. nativ. et in Dec. cranior e. g. Dec. I. p. 16. Turcae caput globosum, Dec. II. p. 15. Feminae Caribaeae compressum frontem.

aut dorso saltem gibbosiore ut formam principalem, sive ut dicitur, Graecam constitutum <sup>54)</sup>.

Ceterum hujus varietatis notiones magis vel minus aberrant; sic West, ille historiarum pictor nationalem Judaicum characterem in unco naso quaerendum esse, existimavit, atque cum Campero hanc opinionem communicavit <sup>55)</sup>. Blumenbach Figuram Judaei centenarii cum naso aquilino nobis describit <sup>56)</sup>.

In Armenio nasus est aduncus, et nasi ossa valde exporrecta a lateribus compressa et acuto dorsali jugo decurrentia <sup>57)</sup>.

Ossa nasi Ehstorum, qui eorum character gentilicium est, parumper intropressa sunt et apex nasi magis obtusus; at raro, praecipue circa urbes, quoniam ninium Germanis mixti sint, Ehstones genuini occurrunt.

Lettonibus Genuinis nasus est uncus et apex ejus acutior.

Varietati Americanae nasus est subsimus quidem, attamen prominens <sup>58)</sup>.

In duobus capitibus, quae Prof. Isenflamm Revaliae apud D. consiliarium aulicum Dr. Espenberg vidit, ossa nasi non praecipue aberran-

<sup>54)</sup> Blumenb. de variet. g. h. nativ. p. 177, 289.

<sup>55)</sup> Camper, l. c. p. 7.

<sup>56)</sup> Dec. cran. III. No. 34.

<sup>57)</sup> Blumenb. dec. cran. V. p. 5. Tab. XLI.

<sup>58)</sup> Blumenb. de var. g. h. nat. p. 180 et 294.

tia fuisse, me certiore fecit. — In cranio Athuri Orinoccani e populo Athurorum, quondam novae Andalusiae partem, quae altum Orinocum adjacet, habitante, nunc vero extincto, narium aperturam cum universa olfactus officina amplissima <sup>59</sup>).

In femina Brasiliiana nasus depressior, ampla tamen olfactus officina apparet <sup>60</sup>).

*Varietas Mongolica* naso parvo atque simo distinguuntur <sup>61</sup>).

Calmucci, qui in varietatibus generis humani ab una parte ut Aethiopes, ab altera extremum locum occupant, normam varietatis Mongolicae nobis referunt.

Camper nasum eorum resimum, ut in nares inspicere possit, quod Buffon etiam testatus est, attulit <sup>62</sup>).

<sup>59</sup>) Blumenb. D. cr. V. p. 14. Tab. XLVI.

<sup>60</sup>) Blumenb. D. cr. V. p. 17. Tab. LVIII.

<sup>61</sup>) Blumenb. De v. g. h. nat. p. 179 et 291.

<sup>62</sup>) L. c. p. 5. Tab. I. Fig. 4. Caput Calmucci representat. Blumenbach Dec. II. p. 10. hanc figuram genuinum et quasi idealem exhibere Aethiopem affert, atque Camperum deceptum fuisse credit, quod et mihi videtur. Ipse enim saepissime Calmuccos vidi atque minime cum Campero sentio. Praeterea etiam, monente Blumenbachio Dec. I. p. 9., linea faciali Camperi nasi directioni nulla habita est ratio; Albrecht Dürer autem nasalem lineam ut alteram faciei lineam terminalem constituit.

Georgi nasum eorum parvum et intropressum describit et totam faciem sic complanatam esse refert, ut ab aliis nationibus facile discernantur <sup>63</sup>).

Ludwig ossa nasi latissima et recta in Calmuccis descendere dicit <sup>64</sup>).

Eduard Sandifort caput Calmucci delineavit, cujus ossa nasalia superne angustiora, et infra latiora, planioraque apparent <sup>65</sup>).

Blumenbach Calmucci nasi ossa minutissima ad perpendiculum fere declinata describit <sup>66</sup>).

In capitibus Calmucci et Calmucae, quae Prof. Isenflamm in collectione craniorum sua possidet, magis quadrangularia, quam oblonga, et plana ea conspexi. Bergmannus noster dicit: nasum Calmucci neque parvum, neque magnum, sed inter genas coarctatum et cum fronte rectilineum conspici <sup>67</sup>).

<sup>63</sup>) Beschreibung aller Nationen des Russischen Reichs. 4<sup>ter</sup> Theil. S. 405.

<sup>64</sup>) Grundriß der Naturgeschichte der Menschenspecies. 1796. S. 105.

<sup>65</sup>) Museum anatom. acad. L. B. 1794. Tom. I. Tab. 1.

<sup>66</sup>) Dec. cr. I. p. 19. Tab. V.

<sup>67</sup>) Nomadische Streifereien unter den Kalmdäcken. 1<sup>ster</sup> Theil, S. 49. Calmuccos ipsos jam differentiam inter se et Germanos, quod ad nasum attinet, invenire, eo elucescit, quod Calmuccus quidam, Bergmannum salutans, his verbis usus sit: Tu

In Sinensi dorsum nasi profundius concavum, Blumenbach describit <sup>68</sup>).

*Varietati Malaicae* nasus est plenior, latiusculus, quasi diffusus, et apice crassiore <sup>69</sup>).

Primi et secundi Novo-Hollandi ossa nasi intropressa depicta sunt <sup>70</sup>).

In cranio Buggesi Macassarensis planus latusque est nasus <sup>71</sup>).

In duobus capitibus masculinis ex insula Nukahiwah primaria novarum Marchionis insularum, quae etiam Prof. Isenflamm apud D. consiliarium aulicum Dr. Espenberg videt, ossa nasi non praecipue aberrantia aut plana fuisse, hic affirmavit.

*Varietati Aethiopicæ* nasus est crassus et cum porrectis genis quasi confusus <sup>72</sup>).

Aethiops, qui ab altera parte extremum locum occupat, ut norma hujus varietatis valet; ossa nasi ejus sunt ob prominentem mediam

---

Germane, magno naso praediti! quomodo valetis? 4ter Theil, S. 253.

Praeterea Calmucci singulorum mensium die decimo sexto animam in naso sedem habere credunt. 3ter Theil, S. 54.

<sup>68</sup>) Dec. cr. V. p. 11. Tab. LIV.

<sup>69</sup>) Blumenb. var. g. h. nat. p. 182.

<sup>70</sup>) Blumenb. dec. cr. Fig. XXVII. et XL.

<sup>71</sup>) Blumenb. dec. cr. V. p. 18. Tab. XLIX.

<sup>72</sup>) Blumenb. de var. g. h. nat. p. 18 et 293.

partem arcus dentalis jam intropressa; inde impressio artificialis parum contribuit <sup>73</sup>). A maxillaribus etiam ossibus narium primo amplitudo pendet, tum et ipsa nasalium directio <sup>74</sup>).

In duobus capitibus Aethiopum ea ossa unam efficere superficiem, et praeterea plura singularia, Soemmerring invenit <sup>75</sup>).

Primi Aethiopum, quorum craniorum effigies nobis exhibuit Blumenbach, nasi radicem intropressum, et sulco transverso alte incisam; minus secundi; omnium minime tertii; dorsum nasi autem, ubi sutura longitudinali dirimitur, acutum in secundo, minus primo, eleganter contra fornicatum in tertio conspicimus <sup>76</sup>). —

Cranium denique Aethiopsis neonati, et hinc, ut figura demonstrat, originem suam luculentissime testatur <sup>77</sup>). —

Sandifort capitis Aethiopsis junioris figuram, aeri incisam, nobis exhibuit, cujus ossa nasalia perfecta absoluta; neque tamen intropressa; sed magis plana invenio <sup>78</sup>).

---

<sup>73</sup>) Camper, l. c. p. 34.

<sup>74</sup>) Blumenb. dec. cr. I. p. 10.

<sup>75</sup>) L. c. p. 21.

<sup>76</sup>) Dec. cr. Fig. VI. VII. VIII.

<sup>77</sup>) Bl. dec. cr. Fig. XXX.

<sup>78</sup>) L. c. Tom. I. Tab. III.

In capite Aethiopsis adulti, quod Prof. Isenflamm possidet, dorsum nasi quidem intropressum, at non aberrantia conspexi ossa nasi\*).

In Bosjesmanno Hottentotta ossa nasi perangusta, simul autem cum processuum nasalium in ossibus maxillaribus facie antica, fere in eodem plano horizontali posita, ita ut universa area nasalis, orbitas discriminans, a glabella usque ad narium aperturam declivis et late explanata descendat, nares internae angustae <sup>79)</sup>).

### §. 9.

Quum omnia nunc ad Physiologiam spectantia supra relata sint de statu pathologico ossium nasi, tum adnato, tum aliunde acquisito pauca quaedam referre mihi liceat. —

Sine ossibus nasi sceleton describit Köh-

<sup>79)</sup> Dec. V. p. 13. Tab. LV.

\*) In Autographo doctiss. auctoris hoc loco vacuum decem circiter linearum spatium extat; de quo quum nunc quidem ipse consuli non possit, hoc hic monendum erat; ne, si quid forte rerum periti hic desiderent, illum ipsum id neglexisse putent.

*Nota typothetae.*

ler <sup>80)</sup> et Sandifort <sup>81)</sup>; quorum loco processus nasales ossium maxillarium duplicem habere latitudinem quibus supplerentur, Köhler etiam observavit <sup>82)</sup>. Utrumque os concretum in infante unius et dimidii anni Köhler etiam vidit <sup>83)</sup>. —

Loco duorum ossium nasalium tantum unicum lentiforme rudimentum inter processum nasales ossis maxillaris in capite puellae neonatae, Soemmerring invenit <sup>84)</sup>, et multum deformata certe sunt in reliquis foetibus deformatis, at integris, quos praeterea descripsit <sup>85)</sup>.

In sceleton foetus bicorporei feminini Musei anatomici Dorpatensis unius faciei unicum longum angustum est os nasi; alteram faciem sine ossibus nasi inveni, ita enim parvo intervallo distant orbitae, ut tantum septum osseum processuum nasalium ossium maxillarium eas discernat.

In sceleton foetus masculini acephali (Nasenfopf) quinque mensium duo parva ossa, et in

<sup>80)</sup> Beschreibung der physiologischen und pathologischen Präparate, welche in der Sammlung des Herrn Loders enthalten sind. Leipzig, 1795. S. 140.

<sup>81)</sup> Observat. anatomico-pathologic. Lib. III. C. X. p. 85. 130., et Lib. IV. C. X. p. 136. — Museum anatomicum: Tom. I. p. 167. No. CI.

<sup>82)</sup> L. c. p. 124.

<sup>83)</sup> L. c. p. 130.

<sup>84)</sup> Abbildungen und Beschreibungen einiger Mißgeburten etc. 1791. S. 26.

<sup>85)</sup> L. c. p. 7. 10. 11. 15. 19. 23.

altero septem mensium Musei anatomici Dorpatensis unicum os nasale conspexi.

Quatuor adhuc acephali, tres feminini et quartus masculinus ejusdem Musei anatomici integri in spiritu asservantur; hinc quaenam eorum sint ossa nasi afferre nequeo. —

Polypi narium ingentes ossa nasalia elevant et dispellunt <sup>86)</sup>.

Osteosarcosi ut omnia reliqua ossa, dentibus exceptis, emolliuntur.

Spina ventosa, quae in genere plerumque ossa extremitatum longiora corripit, ossa nasi quoque intumescunt, quod pulcherrima delineatione cranii Augustin nobis exhibuit <sup>87)</sup>.

Carie, necrosique denique maxime dissolvuntur. —

### §. 7.

### C o m p a r a t a.

Quae a Zootomis observata et descripta sunt, nunc adhuc, quantum propositi ratio permittit, referam, atque praecipue Blumenbachio, Cuviero, Fischero et Wiedemanno descriptiones anatomicas acceptas refero; multa ceterum ex

<sup>86)</sup> Richters Anfangsgründe der Wundarzneikunst. 1782. 1r Theil, S. 567.

<sup>87)</sup> De spina ventosa ossium, 1797. p. 50. Tab. I. • Museo Walteriano. No. 405.

natura etiam hausi, quum capita animalium saepius in thesauro rerum memorabilium Academiae scientiarum Petropolitanae et in museo anatomico Dorpatensi observarem.

*Mammalium* duo ossa nasalia, versus os frontis magis acuta, cum ossibus intermaxillaribus juncta <sup>88)</sup>, longiora sunt ossibus hominis, excepto elephante.

Quadrumana duo habent ossa nasalia, quae autem saepius concreta reperiuntur <sup>89)</sup>, ut ipse vidi. Diversa sunt ab ossibus nasalibus hominum:

- 1) Figura; scilicet planiora et in simiis et Papionibus triangularis sunt formae.
- 2) Situ; profunde jacent et in nonnullis simiis non cum osse frontis sunt connexa.
- 3) Respectu longitudinis; ad longitudinem capitis ab apice maxillae usque ad protuberantiam occipitalem, ut e tabula, quam Josephi exhibuit <sup>90)</sup>, et Fischer auctam reddidit <sup>91)</sup>, elucet. —

<sup>88)</sup> Fischer, über die verschiedene Form der Intermaxillarknochen. 1800.

<sup>89)</sup> Josephi, Anatomie der Säugethiere. 1787. S. 214. Wiedemann, Archiv für Zoologie u. Zootomie. 1800. 1r Bd. 16 St. S. 40. — Fischer, naturhistorische Fragmente. 1801. S. 140. — Blumenbach, Handbuch der vergleichenden Anatomie. 1805. S. 29.

<sup>90)</sup> L. c. p. 218.

<sup>91)</sup> Naturhistorische Fragmente. S. 144.

*Cercopithecus rosalia* unicum habet os nasale, quod cum osse frontis circa dimidiam lineam connectitur <sup>92)</sup>. Simiae natatoris os nasale simplex, ad radicem fimbriatum, apicem ossis intermaxillaris tantum attingit <sup>93)</sup>, ac longitudinis  $8\frac{1}{2}$  linearum est <sup>94)</sup>. —

Lemuribus sunt oblonga, quadrangularia <sup>95)</sup>; et quidem *L. gracili* ad radicem angustiora, ad finem latiora <sup>96)</sup>. *L. volantis* ossa nasalia sunt longitudinis ossis frontis, in transverso convexa, ad radicem latiora et planiora, ad finem autem angustiora <sup>97)</sup>. *L. Cattae* ossa nasalia triangulari apice incipientia, duplici finiunt. Harmonia ceterum magis quam sutura inter se et cum osse frontis etc.: juncta sunt. Longitudo eorum, junioris est 8", 018; adulti 1"  $2\frac{1}{4}$ ", 0,042 <sup>98)</sup>.

Lori ossa nasalia, oblonga, harmonia juncta, apice et sutura dentata incipiunt. Cum utrumque convexum sit, inter ea impressio remanet.

<sup>92)</sup> Fischer, Museum d'histoire naturelle de Moscou, 1806. p. 63.

<sup>93)</sup> Fischer, l. c. p. 108.

<sup>94)</sup> Fischer, l. c. p. 111.

<sup>95)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 16 Cf. p. 7.

<sup>96)</sup> Wiedemann, l. c. p. 7.

<sup>97)</sup> Wiedemann, l. c. p. 14.

<sup>98)</sup> Fischer, Anatomie der Maki. 1804. S. 159.

Longitudo eorum *L. gracilis* est: 5", 011, et *L. Ceylonici*  $5\frac{1}{2}$  lin. 0, 013 <sup>99)</sup>.

Tarsus et Galago duo subrotunda convexa habent ossa nasalia. *T. Daubentonii* est: 3,  $\frac{1}{4}$ ", 007.

*T. Fischeri*  $3\frac{2}{3}$ ", 008 <sup>100)</sup>. —

Indri ossa nasalia non praecipue sunt diversa, nisi quod sutura dentata cum ossibus intermaxillaribus sint juncta <sup>101)</sup>.

Vespertiloni spectri ossa nasalia sunt longa arcta; in antico lata; in postico vero acuta <sup>102)</sup>.

*V. aurti* et *V. murini* parva et arcta inveni.

Sciuri vulgaris oblonga, in antico latiora, convexioraque conspexi.

Mures duo habent ossa nasalia, longa, arctaque, ut Meyer ea in icone repraesentat <sup>103)</sup>.

Marmotta *Cricetus* similia sciuro habet.

*Kyrax capensis* breviora frontis, sat lata et e transverso convexa possidet <sup>104)</sup>.

Saviae Porcelli oblonga et paululum connexa apparent.

<sup>99)</sup> Fischer, l. c. p. 163.

<sup>100)</sup> Fischer, l. c. p. 167.

<sup>101)</sup> Fischer, l. c. p. 86.

<sup>102)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 26 Cf. p. 127.

<sup>103)</sup> Meyer, Prodrum anatom. murium. Jen. 1800. p. 31. Fig. 33. 34.

<sup>104)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 16 Cf. p. 48.



Leporibus magna, oblonga, quorum utrumque convexum, praecipue in antico est; in pluribus capitibus tam *L. timidi*, tam *L. cuniculi* conspexi.

Hystrix inter omnia mammalia maxima habet ossa nasalia, tertiam partem longitudinis suturae frontalis et sagittalis adhuc superantia, cavumque formantia septo et septulis in plures cellulas divisum et ad ossa ethmoidea superiora patentia. Summam etiam altitudinem capitis ob convexitatem efficiunt <sup>105)</sup>.

Erinaceus Europaeus longa, arcta et conjunctione inter se in postico acuta; in antico incisa in pluribus capitibus conspicio.

Talpae Europaeae ossium nasalium, in quatuor capitibus, coalitorum, figuram non distincte agnoscere possum. *Didelphis gigantea* longa ad radicem lata et connexa <sup>106)</sup>. *D. marsupialis* ad radicem vero apice subrotundo, *D. orientalis* ad radicem longa, et acuta <sup>107)</sup> habent.

*Mustelae Martis*, *Foinae*, *Putorii*, vulgaris, praecipue autem *Zibellinae*, ut in duobus capitibus e *Kamtschatka* Dorpatum transmissis, in postico formae triangularis; in antico incisa

in medio coarctata et unumquodque parum convexum animadverti. —

*Ursus Arctos*, ut in pluribus capitibus video, ossa nasalia habet in postico subrotunda; in antico autem lata et utrumque convexum, ac inter se et cum suturis ossium frontis juncta. Trium juniorum, nempe aliquot septimanarum, nisi quod tenuiora sint, jam distincta vidi. *U. speluncae*, cujus caput praeter alias differentias <sup>108)</sup>, praecipue deficientibus parvis dentibus lateralibus, distinguitur <sup>109)</sup>, duo ossa nasalia ab origine cum basi aequaliter distantia sunt <sup>110)</sup>. Incrustatio capitis *U. speluncae* *Galenreuth* *Musei anatomici Dorpatensis* mihi impedimento fuit, quo minus ea distincte conspiciere potuerim. *U. Taxi* ossa nasalia inter se et cum aliis connexa in tribus capitibus inveni.

*Canis Fricatoris* ossa nasalia sunt breviter intropressa; *C. aquatico* magis plana, reliquis longiora; praecipue *C. leporario* interdum coacta. Utrum ceterum *C. familiaris* varietates, ut ipse etiam, unius speciei sint, an a lupo et *C. aureo*, vel a *C. vulpe*, ut praecipue prope *Moscoviam* a cane lupo nigro et a *C. familiari*

<sup>105)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 18 St. p. 30.

<sup>106)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 28 St. p. 133.

<sup>107)</sup> Wiedemann, l. c. 3r Bd. 28 St. p. 133.

<sup>108)</sup> Beiträge zur Geschichte und nähern Kenntniß fossiler Knochen, von F. E. S. Rosenmüller. 18 Stüd. Leipzig, 1795. S. 46.

<sup>109)</sup> Blumenbaeh, l. c. p. 48.

<sup>110)</sup> Rosenmüller, l. c. p. 52.

varietates gignantur, neque affirmare, neque negare propositi est ratio. Numerus vertebrarum lumborum, nempe septem vertebrae lumborum *C. lupi* et *C. vulpis*; sex autem *C. familiaris* <sup>111</sup>), quod ipse etiam animadverti, differentiam principalem efficit.

Caput canis foetus cum duplici trunco Musei anatomici Dorpatensis, qui cujus varietatis sit, afferre nequeo, oblonga et lata ut in aliis capitibus ossa nasalia conspexi. *C. lupi* longa, in postico acuta, in antico autem incisa, harmonia magis inter se et cum aliis juncta, et unumquodque in antico convexum conspicio; imo sunt breviora et ad radicem rotundiora. *C. vulpi* longiora, et graciliora sunt.

Feli cato sunt breviora, supra rotundo apice; infra utrumque convexum margine exciso.

Bradypodis tridactyli junioris ossa nasalia sunt lata, ratione longitudinis <sup>112</sup>).

Myrmecophagae tetractylae longa arcta; in postico convexa; in antico apicem efficientia sunt <sup>113</sup>).

Manis longicaudatae longiora sunt iis *M. pentadactylae*, decursuque etiam differentia <sup>114</sup>).

<sup>111</sup>) Cuvier, l. c. Tom. I. p. 188.

<sup>112</sup>) Wiedemann, l. c. 1r Bd. 16 St. p. 53.

<sup>113</sup>) Wiedemann, l. c. 3r Bd. 26 St. p. 148.

<sup>114</sup>) Wiedemann, l. c. 3r Bd. 16 St. p. 26.

Tatu novemcinctus longa, acta in transversum convexa; in longitudinem autem paululum concava, ut video, habet <sup>115</sup>).

Equi caballi magna ossa nasalia cum incisura ossis frontis connexa et in antico magis arcta, in duplicem apicem finientia, secundum varietates dorsum nasi magis, vel minus aduncum, vel planum invenimus. E. asino sunt planiora.

E. zebrae os frontis profunde jacet, atque ossa nasalia introrsus curvata apparent. Hac in profunditate est apertura, longitudinis 2 pollicum, latitudinis  $\frac{3}{4}$  pollicis, duabus striis osseis sic obiecta, ut cancelli formentur <sup>116</sup>).

Camelus duo habet ossa nasi magna.

Caprae ovis sunt in postico lata; in antico arctiora.

Bovis tauri ossa nasalia eadem gaudent figura, ut in equo.

Cervi alcis foetus, ut in tribus capitibus, circiter quinque mensium vidi, ossa nasalia tenuia; in postico subrotunda; in antico apice instructa, ad marginem externum, ubi cum ossibus maxillaribus junguntur, incisa et unum-

<sup>115</sup>) Wiedemann, l. c. 1r Bd. 16 St. p. 64.

<sup>116</sup>) Raumann, über die vorzüglichsten Theile der Pferdewissenschaft. Berlin, 1808. S. 27.

quodque paululum convexum; adulti autem et *C. elaphi* aequalia ossibus nasi bovis tauri apparent. *C. capreolus* dorsum nasi aduncum habet.

Suis scorfae sunt longa ac plana; longiora autem adhuc, ut etiam ossa maxillaria superiora in capite apri conspexi. *S. Babirusa* omnium mammalium dentibus lanariis superioribus maximis, parallelis, retrorsum arcuatis et tenuioribus distincta, quorum usus adhuc latet <sup>117</sup>), quique a nonnullis, ut ramis arborum se suspendere possint, inservire dicuntur, duo ossa nasi longa, in postico subrotunda, in medio arcta, et in antico inter se connexa, acuta et ad latera incisa habet.

*Tapir Americanus* parva habet ossa nasalia, apice eminentia, sicque cum ossa frontis conjuncta, angulum efficiunt <sup>118</sup>).

*Elephas* ut in musei Academici scientiarum Petropolitani, thesauro rerum memorabilium, video, imitamentum ossium nasi habet <sup>119</sup>).

<sup>117</sup>) Blumenbach, l. c. p. 47.

<sup>118</sup>) Wiedemann, l. c. 16 St. S. 74. Tab. I. Fig. 4.

<sup>119</sup>) Blumenbach's vergleichende Anatomie, S. 29. — Wiedemann, 2r Bd. 16 St. p. 67. Tab. I. Fig. 1. 2. — Fischer, N. Fr. p. 141.

*Rhinocerotis* ossa nasalia quasi tantum crasum fornicem suspensum, cornu sustentem, neque cum maxilla continuum canalem efficiunt <sup>120</sup>), vel tempestive coalescunt <sup>121</sup>).

*Hippopotamus amphibius* ut sus ea posita habet <sup>122</sup>).

*Phocae vitulinae* brevia, plana, in postico arcta; in antico autem lata conspicio.

*Lutrae vulgaris* ossa nasalia tribus in capitibus firmiter inter se et cum ossibus adjacentibus juncta, brevia, plana et conjunctione in antico et postico apicem subrotundum formantia inveni.

*Balaenae mysticeto* duae sunt protuberantiae, ossi frontis supra aperturam narium insidentes <sup>123</sup>).

## §. 16.

*Avium* facies praecipue a rostro superiori edentulo formatur, quod mammalium maxillaria superiora, nasalia ac palatina ossa, interdum suturis, ossium mammalium suturis res-

<sup>120</sup>) Cuvier, l. c. Tom. II. p. 73.

<sup>121</sup>) Blumenbach, l. c. p. 29.

<sup>122</sup>) Cuvier, l. c. Tom. II. p. 75.

<sup>123</sup>) Cuvier, l. c. Tom. II. p. 75.

pondentibus, junctis, repraesentat <sup>124)</sup>, et ut videtur, praeter quam in Tetraone urogallo et Bucerote rhinocerote mobile est <sup>125)</sup>.

Differunt autem rostra avium, ut in compendiis ornithologicis adfertur, multum praecipue quoad figuram. Dura et magis cornea, vel molliora, recto et apice adunca, vel tota adunca, incurva, acuta, conica, breviora, vel longiora capite etc. invenimus; sicque etiam nasalia conveniunt.

Ramphasto tucano maximum, inane et molle et Buceroti rhinoceroti maximum, inane, ad basin versus frontem recurvatum rostrum, ut omnibus levirostribus, receptaculo aëris inservit <sup>126)</sup>.

In Anate olore <sup>127)</sup>, et A. cygno, ut ipse in duobus capitibus cygnorum vidi, ossa nasalia sunt angusta cum posterioribus, longis apicibus ossi frontis; anterioribus autem rostro superiori interposita. —

### §. 17.

*Testudinum*, ut in pluribus conspexi, praecipue in testudine tessellata Schnei-

<sup>124)</sup> Cuvier, l. c. Tom. I. p. 84.

<sup>125)</sup> Blumenbach, l. c. p. 84.

<sup>126)</sup> Blumenbach, l. c. p. 254.

<sup>127)</sup> Wiedemann, l. c. 2r Bd. 16 St. p. 141.

deri <sup>128)</sup> ossa nasalia retro acuta et ab initio lata inter os frontis et ossa lacrymalia inclavata, interne sejungentia, et externe margine superiori maxillae superioris adhaerentia; imo in pluribus coalita video.

*Ranarum* ossa nasalia sunt parva.

Lacerta *Crocodylus* duo habet ossa nasalia et aequaliter posita, ut etiam in capite *L. Ichoanae* conspexi.

Serpentibus distincte duo sunt ossa nasalia, ut c. g. in capite colubris *Natricis* inveni.

### §. 18.

*Piscium*, quorum ossa faciei diu separata remanent, ossa nasi duo, interdum quatuor inter anteriorem et superiorem partem cranii et extremitatem anteriorem vomeris posita, nervos olfactorios tegunt <sup>129)</sup>.

### §. 19.

Insectorum et vermium parvus est numerus, qui partes habeant analogas ossibus, e. g. dentes ventriculi cancerorum, squama ossea sepia officialis etc.; hinc de ossibus nasi et naso ipso nihil dicendum est, nisi quis cornu incurvatum scarabaei nasicornis, vel rostrum porrectum geniculatum canopis calcitrantis, ut pro analogo nasi habere velit. —

<sup>128)</sup> Wiedemann, l. c. 2r Bd. 26 St. p. 138.

<sup>129)</sup> Cuvier, l. c. Tom. II. p. 30.

Е г г а т а.

Рag. 7,	Lin. 16,	анапоміи loco анашомия.
— 7	— 16	руковод- l. руковог-.
— 7	— 17	познанію l. поспанію.
— 7	— 17	Человѣ- l. Челов-.
— 7	— 18	Загорскаго. l. Загорскаѣн.
— 7	— 19	Книга l. Книда.
— 10	— 3	exсер- l. excen-.
— 11	— 22	penitiori l. penitiorum.
— 19	— 10	dextrum l. dextum.
— 20	— 20	ѣто l. ѣто.
— 20	— 21	Αἰγυπτίων, ѣто l. Αεγυπτίων, ѣто.
— 20	— 22	ισχυραί l. ισχυραί.
— 21	— 14	Ehstonorum l. Ehstorum.
— 21	— 13	Ehstoni l. Ehstones.
— 22	— 10	distinguitur l. distuingitur.
— 24	— 12	vidit l. videt.
— 34	— 20	tetradactylae l. tetradctylae.

I m p r i m a t u r,

ea conditione, ut symulac typis excusa fuerit, antequam distribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est, mittantur.

Догрaтi, Dr. Martinus Ernestus Styx,  
d. xiv. Jun. mдсссxvii. Censor.